Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1993
Quelle:
Copyright:

betur in toto *Bibliorum* corpore a *Cassiodoro de Reyna* hispanice verso, et non quidem *Bernae*, ut ex *Ursi* praefixa icone non nemo arbitratus est, sed *Basileae* apud *Thom. Guarinum* 4. impresso, quemadmodum Cassiodorus ipse sua manu Exemplari a se Bibliothecae publ. *Basileensi* donato praescripsit. Vide *Dav. Clementis Biblioth. curios. hist. crit.* T. III. p. 456. Adde *Vogtii Catal. Libb. rar.* p. 114. et *Freytagii Anal. lit.* p. 111. Elegantissimo Bibliothecae nostrae Palat. Exemplo adligata est *Suplicacion y Informacion Que fue presentada a la Reyna de Francia por los fieles Christianos de aquel Reyno* &c. *Por el Maestro Joan de Monte* &c. quae, cum ad calcem notetur impressa: *En Cosmopoli por Christopboro Philáléto.* 1567. nescio, quo modo *Longium suprac.* p. 363. in errorem induxit, ut *Bibliorum* hisp. anni praedicti editionem inde effingeret. Ne igitur Editionem ejusmodi apud nos quaeras. Est vero nobis *Bibliorum Reynae* Exemplum aliud, quod *Jacobus* quidam *Zennegg Lindaviae* 1608. testatur, sibi ab *Aug. Cassiodoro de Reyna* apud Ducem *Ostrogothiae Joachas* in *Suecia* linguas peregrinas profitente per ejus fratrem *Marcum Cassiod. de Reyna* V. D. apud *Francofurtenses* Ministrum a. 1603. dono missum, quem *Augustinum* et *Marcum* filios *Cassiodori* interpretis fuisse putem. Hunc, ut Emtores alliceret, editioni suae *Decreta Concilii Tridentini* praefixisse, vix est, quod moneam.

DXIX.

Codex chartaceus hisp. Sec. XVI. Folior. 413. 4. inscribitur: *Declaraciones sobre los Euangelios di Sant Matthéo.* Prooemii initium: *Grandissimo testimonio dela verdad christiana es este, que quando el hombre en las cosas que pertenecen a ella, no se sirue en nada de su prudencia, ni de su razon humana, acierta, y quando se sirue yerra* &c. In hoc *Prooemio* meminit Autor Interpretationis suae in *Psalmos* et in *Epistolas Pauli* et *Petri*, docetque, quis ex Evangeliorum lectione fructus capiendus sit. Commentarius ipse audit: *El Evangelio de San Matteo traduzido fielmente del Griego en Romance castellano y declarado segun el Sentido litteral con muchas consideraciones sacadas de la lettra muy necessarias al biuir christiano.* Autorem a Sacris catholicis alienum vel ea produnt, quae in C. XVI. de Confessione *Petri* commentatur. Atque hinc mox se mihi obtulit *Job. Valdesius* Hispanus, cujus dum Commentarium in *Ep. ad Rom.* et in I. *ad Corinth. Venetiis* 1556. et 1557. apud *Job. Philadelphum*, ut quidem fert titulus, hispanice 8. editum perlustro, eadem inscriptio: *traduzida fielmente del Griego en romance Castellano*, eadem tractandi methodus, eadem phrasis adparet. Adde, quod in 613